

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Reden und Arbeiten der Societas Latina - Cod. Karlsruhe 3420, 1-4**

57 Reden der Societas Latina - Cod. Karlsruhe 3420,3

**Molter, Johann**

**[Karlsruhe], 1783-1800**

[Fecht, Karl Friedrich]: De dignitate hominis disseruit, 24 März 1789

[urn:nbn:de:bsz:31-99849](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-99849)

De dignitate hominis  
disseruit

Carolus Fridericus Fecht.

Die .XXIV. Martii.  
MDCCLXXX.

88.

Fecht Mz 14 valed





146  
Director gravissime!  
Socii ornatissimi!

Homo in duplici respectu magnus & parvus nominari potest. Magnus quia pene omnia cum anima sua regit dominat & quid excellentius? Deum cogitare potest. Parvus - dum hominem cum universo comparamus, illum pene nihil invenimus. Motus per has contemplationes, hodie pace vestra, praesens gravissimus sociiq; ornatissimi, de dignitate hominis loquar. In parte priori explicabo cur homo tanta dignitate praeter ceteris creaturis a nobis cognitivis gaudeat, & dum facile invenimus, quia respectu animi, permittite hoc verbum, similis Deo est, comparationem & demonstrationem huius similitudinis praemittam; in parte posteriori, quomodo homo se digniorem reddere possit praecis explicabo.

Quid excellentius cogitari potest, quam aliquid quantumcumque, cum Deo simile percipere, & habetne homo intellectum quo etiam Deus utique infinito maiori gradu gaudet? ubicunque circumspicimus vestigia & claras voces intellectus et sapientiae eius invenimus, illum mare subtratum ventis, & torrens tellus concelebrant, illum venti frant & horribile tonitru, illum aves dulci voce per inane cantant, illum homo in operibus divinis vidit adorat, illum qui se ipsum prorsus solum cognoscit, qui aeternos ignes, mare turbidum & dura aquora terra & omnes varias res & quidquid ubique regit,



dumque ipsum spectat se. sancto incensus amore, genus omne  
 hominum, genus omne ferarum & ingentem orbem ingens complec-  
 titur. Ille iubet nudatas silvas tempore hiemis revirescere, & ar-  
 bor que nuper erat sine frondibus parturit & vertit viridi fronte  
 ramalix, iam nemus umbrosus, iam rura, iam urbes cantibus  
 resonant & salit pecus lotum inemorque hiemis. Verum ubi  
 sol graviore aestu terras accenderit, flavescunt segetes, arbes  
 latitias agrestes auget - mox vero uberlus autumnus infert  
 se, iam iacent sub arbore fractus, iam vitis vindemiatur. Sed nunc  
 subrepsit hiems tristes, omne decus ruram & nabilia toto coelo spae-  
 quantur - terra quiescit & iam est arbor sine frondibus, descendunt  
 nives, recedit terra dormientis. Quis mortali hunc ordinem non  
 miratur? Quis non gaudet tali sapienti Deo similis esse?  
 Unde telluri tot sufficiunt herbe? Unde terra inculta tam  
 variis floribus ornatur? Unde coelum stellis subtratam in  
 quibus anima hasitat? Tandem est credere dignum non esse orbem  
 veram aliquo movente moveri, tandem fatere necesse est, esse  
 modum rebus! Tandem fatere necesse est, esse principium rerum,  
 esse sapientissimum. Qui nullo auxilio indigeat, sed ipse omnia  
 moveat. Hic Deus est & huic homo similis, sine quo nil sanctum  
 nil magnum, hac se omnia contendunt, vertunt, abeunt redeunt,  
 ille coelum cum ardentibus stellis, aequora, terram cum omnibus



in colis caput & complectitur una - & huic homo similis, et quod sit videte  
 etiam opera eius, iam videamus exempla. imagine Dei, providos &  
 prudentes homines, quorum consilio urbes aedificatae, ius aequale consti-  
 tutum, leges scriptae, artes inventae sunt. Quia prudentia opus fuit  
 ut a ferinis moribus, agrestes illi, quid? agrestes? - fere ad humani-  
 tatem traducerentur? Praesertim cum a fide essent cupiditatibus  
 parere, viribus pugnare, rapto vivere. Nondum oratione poterant  
 comoveri qui ratione vix uterentur. Animo, qui hominem dignum  
 nomine hominis facit, animo proprium fuit uti opportunitate  
 temporis idonei ad agendum; animo proprium fuit ponere  
 ante oculos quantum utilitatis haberet societas, quantum peri-  
 culi solitudo.

Sed properamus ut e silvis et agris ad urbes veniamus, quae  
 quot sunt quis enumeret? Praetereo minora quibus terra exornatur  
 veluti stellulis coelum, magnas & praeclaras dico urbes, earum  
 usu quid utilius, ut homo tutus sit & vis hostium arceatur? Videte  
 aedificia hominum quibus nihil commodius, & frigoris & caloris vim  
 repellamus, videte artes, sunt leges, sunt instituta! Unde agri-  
 cultura, unde mercatura, navigatio, nundio. Ut rebus abundemus.  
 Quis rem familiarem tuetur? Quis leges scripsit? aspiciate  
 historiam, vix dici potest quid homo effici possit, quod cum lectione



percurramus omnem antiquitatem & quae gesta sunt animo lustramus  
 rebus non modo interesse sed praesens videmus. Denique nil adeo est  
 difficile nil tam magnum quod homo non efficere possit: quin  
 etiam homini natura innata est immortalitatem sectari: dolet  
 ante fuisse heroes magnanimos & se non eodem tempore nasci po-  
 tuisse, dolet, quod tam brevis fama sit, nec quicquid facit posteri  
 spectare: his ut monumenta relinquunt arbes magnas erigere atque  
 turres alto caelo tollere & septem colles uno mare concludere:  
 flumina per montes deducere & montes humanis manibus evellere,  
 & palus sterilis reddere seminibus; hinc ubi demeta prius, nunc  
 fructus & vites: hinc praedara inventa virum atque vitam in  
 genuis artibus excellere & facta magnorum disserere & clarum  
 lumen e tenebris extollere. Nunc quid praeterea heroes qui  
 sanguine fuso, imperium & placidam quietem civibus peperere?  
 Non prosunt illos magnas magni labores terrere, non dulcis  
 conivix tenet non maxima precis liberorum aut parentum;  
 clarius illis est in duro certamine pro patria animam obiecta-  
 re, & denique quae vis illa animi? quando prorsus nihil aditam  
 ipsi intercludit atque vias omnes percurrit & omnia lustrat  
 omnia pertentet, non illi alta caeli ardua videntur, nunc  
 ad occiduum solem spectat maria, perquiruntque urbes gentes



nominas rerum; nunc orientis spes et populos invisit & omnes terras  
 transcendit, quantum omnipotens dederit natura homini ut genus  
 omne hominum pareat huic ultro, vel tandem serviat uni; namq;  
 ipsa videbis quae vitam pelago ducant, quae super flumina, omnia  
 debere nobis, quaeque per aera volitant & quae pede terram pererrant.  
 Hinc innocua insidia, visco & retibus fallere, hinc laqueo cap-  
 tare feras. Quin etiam & tygres & leones homini parere Tempus  
 docuit, & informes ursae errant cum ducenti homine. Et stat  
 equas letus domino iam patiens, iam frenum mandens corpus  
 pulchrum calcaribus praebet. Stat ovis lanosa vestibus apte  
 & buccata plena ubera ad dominum venit, aspiciat ut iuvenei  
 indomiti quoddam, nunc plaustra ferant & taurus agrum  
 arat, & sic homo omnia creata dominat regit, quae omnia  
 quidem armata, sed quid contra rationem? Nascitur homo  
 imbecillus nec humo se tollere nec repere potest, uti cetera  
 animantia, non frigoris patiens nudus in lumen proferta e, nec  
 sunt alimenta quibus se recreet & dona natura despondentia.  
 Sed in ratione omnia dona quae ceteris praebet simul dedit.  
 Et praeterea in terra nil perpetuum est, at homo  
 immortalis. Aspiciat arces Romanis collibus impositas, &  
 monumenta olim claris trophaeis ornata, aspiciat Colosfos



qui nunc turpi situ & sine honore iacent, aspiciete eversas urbes, recensata maria, aspiciete Aetnam qui tonat flamma, ut imis cavernis aura crepitant, intremis omne solum & mons periet, sed anima hominis immortalis est. Qua spes, etsi a Philosophis, ex illo in fami grege qui immortalitatem timere debent, negatur, attamen cum maximo gradu verisimilitudinis probari potest? O felix homo, ceterum felix! Qui pro vita temporali eademque brevi & incerta, et mille semper casibus exposita, immortalitatem consequi potest. Hoc Deus nobis maximum quod homini largiri poterat, donavit, & tunc dignos hoc dono nos praebemus, si digniores nos nomine hominis reddamus; quam modo hoc effici possit in parte posteriori breviter explicabo.

Hoc unum omnes regulas continet, emenda intellectum & voluntatem, intellectum cum studiis, artibus liberalibus & scientiis. Nam ego nil magis cavendum arbitror, quam ignavia consenescat ingenium; in eo enim homines maxime praecallunt, quod intelligere, quod multa scire ac meminisse possunt, quod Deus belluis non tribuit, & tamen aliquam intellectus & memoria similitudinem habere videntur. Quid ergo? Officium est, ut omni vigilantia & sumis viribus, animi tenebras depellamus, evitamurque, aliquid addiscere, quo vitam hominis, non pecoris degamus, sed interdum



meminerimus, si forte ad summa pervenire non possumus, de cetero nos  
 ingenii terminis esse contentos, quos Deus nobis & natura posue-  
 rint: quod nisi fecerimus nunquam sine mentis anxietate futuri  
 sumus: quamdiu enim in cognitionem rerum ibimus (quod iter  
 nunquam intermittere usque ad extremum spiritum debemus)  
 novi quotidie recessus apparebunt, ad quos se ignorantia nostra  
 porrigere debet. Ita fiet ut scientia quae ingens causa sacrae  
 delectationis esse debuerat molestissimam sollicitudinem  
 inferat & vitam, cuius se ducem pollicebatur, interimat.  
 Adsit ergo cunctis in rebus modestia, illa nobis succedat,  
 ut non in illis solum quae fortuna aut corporis, sed in his  
 etiam quae animi bonae sunt ac quaecumque nobis portiuncula  
 obvenit, acquiescamus; largitori aeterno qui optime quid no-  
 bis expediat videt, id non largitus est, non quod delectabilius  
 se quod opportunius novit. Cui itaque ingenium, non  
 desit diligentia, cui adest, adsit quoque moderatrix rerum  
 discretio ut incorrupto iudicio vires suas extimet. Nampe  
 adiuvandum studio ingenium est; & meditationibus sub-  
 levandum, sed minime cogendum quo non possit ascendere.  
 Alioquin dum impossibilia cupimus possibilia negligimus.



Studemus dum tempus est, dum fervet aetas & viget ingenium.  
 Non expectemus donec frigus senectutis obrepat & nubila  
 hyberna veniant. Perscrutemur doctorum hominum libros  
 ex quibus scientias florentissimas ad suavisimas discere  
 possumus, idque sicut in desese sic modeste. Non inanem  
 gloriam ventosis opinionibus paratam, sed veritatis & vir-  
 tutis effectum statuamus. Videte quando multis maior sit  
 scientia cura quam vita, & sanctius fama studium quam  
 virtutis, quanta vigilantia cavent? ne quid in sermone  
 sordidum incultumve sit cum vita interim negligentes,  
 multa ibi squalida prorsus & abhorrentia jacent. Sunt  
 iam qui clarum philosophiae nomen habent, qui virtutes  
 describunt sed non secundum praecepta ~~eius~~ illorum vi-  
 runt, & qui non virtutum amatores sed cognitores,  
 neque id esse cupiunt sed videri. Sed non ita nos  
 studemus, sed studia cum virtute coniungamus, ut  
 dignos nomine hominis, dignos nomine populi moribus  
 probi, dignos nomine studiosorum nos praebeamus.